

4065. Matrimonio tamen jam consumato, nec licite, nec valide conjux sine expressa licentia libera alterius conjugis potest Religionem ingredi, & professio facta est nulla, itaut, mortua uxore, non teneatur ad Religionem: uxore autem vivente, teneatur ad illam regredi: Non potest tamen petere, sed solum reddere debitum; quia emissio illa votorum, licet non obliget in vim professionis solemnem Religiosam, utpote quæ sit in præjudicium alterius conjugis, obligat in quantum potest, videlicet in vim simplicis voti castitatis; ac proinde est impeditus à petitione debiti, in quo non præjudicium conjugis, cum etiam ipsa post matrimonium poterit castitatem vovere, & non petere debitum; & ita, ea mortua, teneatur castitatem servare. *Cap. Quidam 3. Placet 12. de Conversione conjugatorum.*

4066. Quod si uterque conjux in Religione profiteatur sine mutua licentia, valida erit utriusque professio; quia tunc per actum facti censentur sibi mutua licentiam dedisse. *Pirhing. tit. cit.*

4067. De alterius autem conjugis libera, & expressa licentia licitum est per se conjugi Religionem ingredi, & professio erit valida. Dixi per se; quia per accidens potest esse illicita, ut si habeat filios, qui eo indigeant, si sit gravatus debitis, &c.

4068. Et quia tunc matrimonium non dissolvitur quoad vinculum, sed quoad usum, si vir professus uxorem etiam professam cognoverit, non peccaret contra justitiam, sed contra votum.

4069. Non potest tamen unus conjugum Religionem ingredi, nisi alter etiam Religionem ingreditur, *cap. Cum sis, cap. Uxoratus, de Convers. conjugat.*

4070. Quod si alter velit in sæculo remanere, tres requiruntur conditiones. 1. Ut conjux superstes sit senex, videlicet sexaginta annorum, si vir; quinquaginta, si mulier: In quo datur arbitrium Episcopo, ut considerata conjugum complexione, valetudine, robore, &c. possit in casibus particularibus de senectute debita judicare. 2. Ut non sit suspectus de incontinentia. 3. Ut emittat votum castitatis, quod est votum simplex. Insuper ex consuetudine est necessaria cognitio, & licentia Episcopi.

4071. Quod si conjux, qui licentiam dedit, sit juvenis, & nolit Religionem ingredi, quod intra annum Novitatus egreditur, vel sit senex, & nolit votum continentiam emittere, & alter conjux repariatur professus, professio est valida, & relicta in sæculo persuaderi potest, non cogi, ut Religionem profiteatur, aut votum continentiam emittat; quia votum debet esse liberum; quod si nolit, & adit periculum incontinentiam, tunc Episcopus jubere debet marito professo, ut ad uxorem revertatur, *cap. Propter 1. tit. cit.* quia ratione voti solemnem castitatis, sine dispensatione Papæ, reddere potest, non petere; & uxore mortua, aut votum castitatis emittente, teneatur ad Religionem reverti.

4072. Si verò uxor relicta in sæculo castitatem

voveret, non posset revocare conjugem professum, quia ratione voti castitatis neuter posset petere debitum. *Tamb. tom. 2. lib. 8. cap. 4. §. 1. Vide n. 4291. & 4292.*

DECLARATIO.

4073. **O**rdini Sacro est annexum, non præceptum, (ut probabiliter tenent plures) sed votum solemnem castitatis. *Fagnanus in lib. 5. cap. Tuae litteræ, tit. de Cler. per saltum promotis. Tamb. lib. 7. de Ord. cap. 3. §. 5. Gobat tom. 1. tract. 3. causa 20. Ratio est. Primò, quia in pluribus textibus obligatio castitatis Ordini Sacro annexa vocatur votum.*

4074. Secundò, quia ordinatus in Sacris, si castitatem violat per actum purè internum, puta per delectationem morosam, aut desiderium (ut omnes fatentur) sacrilegè peccat; quod non esset verum, si ad eam teneretur ex solo præcepto Ecclesiæ; quia Ecclesia non præcipit actus purè internos.

4075. Hoc autem votum dicitur implicitum, quatenus qui ordinatur, liberè suscipit Ordinem Sacrum, cui est annexum votum castitatis, quod votum soli professioni est annexum essentialiter, ac ex sui natura, & est de ejus substantia, *cap. Cum ad Monasterium, de Statu Monach. Ordini autem Sacro est annexum solum extrinsecè ex præcepto Ecclesiæ, cap. Cum olim, de Cler. conjug. cap. A multis, de Statu, & qualitate ordinandi. Ratio verò impediti dirimentis est annexa Ordini Sacro pariter ex constitutione Ecclesiastica, non ex natura rei. Scotus. cit. & inuit Trid. sess. 24. can. 9. Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos, posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstantes lege Ecclesiastica, vel voto, &c. anathema sit.*

EX DICTIS RESOLVES

4076. **P**rimò: Qui in ætate debita scienter suscipit Ordinem Sacrum cum expressa intentione nolendi se obligare voto castitatis, non ligatur voto; quia votum debet esse voluntarium; peccat tamen, tam in Ordinis susceptione, quam pro sequenti tempore contra præceptum Ecclesiæ obligans eum, qui liberè Ordinem Sacrum suscipit, ad suscipiendam obligationem voti, & oneris Ordini annexi. At si nubat, invalidè nubit; quia Ordo Sacer dirimit, & irritatio non dependet à voluntate propria, ut in voto, sed à lege Ecclesiæ.

4077. Si quando suscepit, ignoravit votum, non ligatur voto, quia votum est promissio deliberata, nec peccavit ob ignorantiam; sed si nubat, invalidè nubit; quia Ordo Sacer dirimit; & iste, si velit uti Ordine, debet voto se obligare; quod si nolit, dispensationem petat ob ignorantiam, quæ tamen difficulter præsumitur, cum hodie vulgatum sit Ordini Sacro esse annexum votum, & præceptum Divini Officii.

4078. Secundò: Adultus suscipiens Ordinem

Sa-

Sacrum non habens intentionem suscipiendi, invalidè susciperet ex defectu intentionis; undè posset nubere, & non teneretur ad castitatem, ac ad Divinum Officium; adeoque fornicando non peccaret, contra votum; sed sacrilegè susciperet, nisi sic susciperet per violentiam, & coactionem. Ita res se haberet quoad forum internum; quoad forum verò externum, secundum externa procederet.

4079. Tertio: Qui per vim, & metum injuriam, gravem, cadentem in virum constantem, ab extrinsecò ab alio homine inculpato, Ordinem Sacrum suscipit, non tamen dissentiens, nec reclamans, validè suscipit ordinem, & inde non potest nubere, nisi post dispensationem; sed non ligatur voto, nec præcepto Divini Officii; quia ad Sacramentum validè suscipiendum sufficit voluntarium simpliciter, quod stat cum metu gravi; ad votum verò, & obligationem Officii Divini requiritur major libertas, nempe libertas à coactione, & plena, ut dictum est de contractibus in *num. 2360.*

4080. Dices: qui ex metu injusto emittit professionem solemnem, probato metu, potest validè, & licite nubere: igitur.

Resp. disparitatem esse, quia qui sic profiteatur, invalidè profiteatur ex lege Ecclesiæ, in cap. ult. *Qui Clerici, vel Monach. tit. de His, que vi, mesure causa sunt*, requirentis ad validam professionem consensum plene liberum. Qui verò sic ordinem suscipit, valide suscipit; cum sufficiat consensus simpliciter, adeoque subditur irritatio matrimonii Ordini Sacro annexæ, *Pirhing. tit. 1. §. 2.*

4081. Hic autem, si post metum velit in usu Ordinis permanere, teneatur ad castitatem, & horas; similiter, si metu cessante, semel Ordine usus est, non potest ab Ordine, & voto resiliire; quia usus Ordinis est ratificatio Ordinis.

4082. Quartò: Infans, si ordinetur in Sacris, validè, etsi illicitè ordinatur. Positivè autem dissentiens, nec validè ordinatur, cum aliud sit non consentire, & aliud positivè dissentire, ait *Pirhing.*

4083. De tali infante specialiter disponit Ecclesiæ, ut postquam ad annos ad votum castitatis sufficientes (de quibus modo) pervenerit, detur ei optio, ut si velit uti Ordinis stare, stet; sed teneatur voto; quia per talem electionem implicitè votum castitatis emittit: si nolit, possit nubere, sed ordine non utatur. *Tamb. de Ordine cap. 3. §. 3. num. 16.*

QUÆRES I:

4084. *Quis post annos discretionis, sed ante annos pubertatis, nempe ante annos quatuordecim expletos, suscipit Ordinem Sacrum sciens esse annexam votum castitatis; an teneatur ad castitatem?*

Sanchez cum aliis apud *Tamb. cit. num. 18. & Fagnanum in lib. 5. cap. Tuae litteræ, de Clericis per saltum promotis* tenet, quod sicut ex *Trid. cap. 15. sess. 25. de Regularibus*, non potest quis validè ligari voto castitatis in professione solemnem, emissa

ante annos sexdecim expletos, ita nec voto castitatis in susceptione Ordinis Sacri, facta ante annos sexdecim expletos, etiam si talis susceptio fuerit post annos quatuordecim ratificata; & addit, cum posse licite nubere.

4085. *Tamb. cit.* cum aliis asserit, teneri ad castitatem; quia puer rationis compos valide se obstringit votis.

4086. Dico 1. Eum teneri ad castitatem, nec posse nubere, si post finem anni decimi quarti ratificet susceptionem ordinis antea factam. Non teneri verò ad castitatem, sed posse nubere, si post finem anni decimi quarti statim, hoc est infra triduum, reclamavit, licet antea tacuerit. *Fagnanus cit. num. 42. 70. & 73.*

4087. Prima pars probatur solvendo rationem primæ opinionis. Disparitas enim est evidens. 1. Quia lex *Trid.* irritat professionem Religiosam ante annos sexdecim emissam, at non votum castitatis Ordini annexum. 2. Quia votum Ordini annexum solum assert gravamen castitatis; at professio Religiosa plura, & majora gravamina secum assert, nempe ultra Castitatem, Obedientiam, Paupertatem, Clausuram, & Religionis asperitates; & ideò majorem deliberationem exposcit professio Religiosa, quam solum votum castitatis; adeoque Tridentinum requirit pro valida professione, quod sint elapsi duo anni pubertatis; quod non currit pro solo voto castitatis.

4088. Ordinationem suam ratificare quis potest expresse per actum expressum voluntatis, etiam internum, quo eam approbat volens suo tempore ea uti; vel tacite per usum Ordinis, aut ejus privilegii.

4089. Secunda pars probatur à *Fagnano: Quia ante annos quatuordecim non potest quis, etiam si velit, se expresse adstringere ad votum continentiam.* *Cap. 1. 20. q. 1. Ergo multo minus, potest tacite per susceptionem Ordinis Sacri. Ita Innoc. & Canonista.* Cujus rei ratio est, quia de voti essentia est, quod sit promissio deliberata, hoc est, facta cum plena advertentia, & cognitione materiæ voti, quæ perfecta cognitio materiæ castitatis regulariter non habetur ante annos pubertatis; quia ante annos pubertatis vir non habet potentiam coeundi, nec inde potest matrimonium contrahere; adeoque ante annos pubertatis potest se ligare aliis votis, sed non potest regulariter se ligare voto continentiam, licet annos discretionis teneat, nisi malitia suppleat ætatem, ut plenam cognitionem materiæ voti castitatis habeat; quia nemo potest renunciare ei, quod ignorat. Abbas apud *Fagnanum cit.* & per hoc soluta manet ratio *P. Tamb.*

4090. Nec obstat taciturnitas; quia pro eo tempore non poterat se voto continentiam adstringere; & quando poterat post finem anni 14. infra triduum reclamavit, seu dissentit.

4091. Hinc, qui post annos discretionis, sed ante pubertatem suscepit Ordinem sacrum, sciens esse votum continentiam, post Ordinis sus-

cep-

ceptionem tacuit, & post annos 14. infra triduum etiam tacuit, licet ordinationem suam non ratificaverit, ligatur voto, nec potest nubere. Fagnanus cit. num. 74. non ex taciturnitate, sed ex perfeverantia consensus in ordinatione suscepta, qui licet non poterit ligari ad castitatem in principio, ob ætatis defectum, ligat, eo sublato, per supervenientiam ætatis. Sicut votum Religionis, quod vir emittit, vivente uxore, & ea contradicente, non ligat ea vivente, ligat verò, uxoris impedimento sublato. Insuper ipsa non reclamatio, tempore, quo poterat reclamare, censetur Ordinis suscepti ratificatio.

4092. E contra, si post Ordinem susceptum statim contradixit, & in contradictione perseveravit, post finem verò anni 14. Ordinationem, nec approbavit, nec reprobat, sed tacuit, non ligatur voto, & potest nubere. Fagnanus cit. num. 70. quia censetur in priori dissensu perdurasse; dissensus enim, sicut, & consensus non præsumitur mutatus, nisi probetur.

4093. Confirmatur ex cap. *Majores*, §. *fn. de Baptismo*, ubi dicitur: *Dormientes autem, & amantes, si priusquam amantes fuerint, aut dormirent, in contradictione perseverent, in eis intelligitur contradictionis propositum perdurare.* Et Glossa ibi in cap. 1. loquens de voto solemnium Religionis, ait: *Quia constabat de professione voluntatis ab initio facta adhuc præsumitur nolle.*

4094. Suadet exemplo sponsalium, quæ ante usum rationis contracta, sunt invalida ex defectu consensus, & per supervenientiam ætatis non convalescunt, nisi verbo, vel factò ratificentur, & non sufficit sola taciturnitas.

4095. Similiter matrimonium ante annos, à Trid. requisitos metu contractum, sublato impedimento, non validatur sola taciturnitate, sed expresso consensu, vel copula affectu maritali habita.

QUÆRES II:

4096. *Infans ante usum rationis suscepit Ordinem sacrum; post septennium, nec consensit, nec dissensit tacite, aut explicite, sed tacuit negativè se habendo; at in fine anni 14. infra triduum reclamavit. An ligatur voto?*

4097. **R**espond. non ligari voto. Fagnanus cit. num. 52. Et probò, tria cum eo distinguendo tempora. Primum, quando suscepit Ordinem: Et tunc non potuit ligari, ob defectum usum rationis. Secundum post septennium: Et neque, ob defectum deliberationis. Vide num. 4054. Tertium post finem anni 14. Et tunc non se ligavit, quia statim contradixit; & ita nullo tempore se ligavit.

4098. Non obstat character impressus; quia votum est Ordini annexum ex constitutione Ecclesie, ut in num. 1063. & 2073. Et Ecclesia non potest invitum ad votum continentie obligare, cap.

Integritas 32. q. 1. & cap. *De his. Quibus autem voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab Apostolo licentiam auferre, non possumus.*

4099. *Difficultas major est: An si prædictus etiam post finem anni quatuordecimi tacerit, merè negativè se habendo?*

4100. Et etiam hunc non ligari voto, docet Fagnanus cit. num. 55. *Quoniam ex sola taciturnitate (ait ille) in materia tam gravi, & præjudiciali non inducitur obligatio. L. Non solum, in princ. & l. Filius familiaris, §. Invitus, ff. de Procurat. ord. c. de procurat.*

4101. Nec obstat (subdit) iura in contrarium, cap. *Diaconus* 27. dist. cap. *Plerumque* 2. q. 7. quæ probant taciturnitatem haberi pro consensu; quia procedunt, quando cum taciturnitate concurrat actus positivus; nam Diaconus ille protestatus fuerat, se velle matrimonium contrahere, nec postea in castitate permanere, postea ordinem Diaconatus suscepit, & quamvis in ordinatione taceret, matrimonium postea contrahere non potuit, quia factò ipso à protestatione recessit.

4102. Atque ita præter taciturnitatem, ibi intercessit actus positivus susceptionis Ordinis Sacri, cui votum continentie est annexum, qui autem libere recipit alterum connexorum, censetur ad alterum connexorum se obligare. Abbas in cap. *Cum in cunctis*, & c. Ita ille, qui

4103. *Uterius suadet exemplo: Si quis recipiat, & legat epistolam, in qua contineatur, eum debere centum, & non contradicat, censetur debitum confiteri; quia cum taciturnitate concurrat actus positivus receptionis, & lectionis litterarum ejus debitum continentium.*

4104. Quando igitur actus positivus non intercedit, taciturnitas solum in favorabilibus habetur pro consensu, ex Reg. 6. *Qui taceret*, minimè in præjudicialibus. Baldus *conf.* 299. quia sicut in favorabilibus facilius quis consentit, ita in præjudicialibus facilius dissentit.

AMENS

4105. **V**alidè, etsi illicitè pariter ordinatur, ut in tom. 3. num. 18. Et de eo respectivè juxta dicta discurre.

9. LIGAMEN

4106. **E**ST vinculum viri cum uxore post contractum matrimonium legitimum, sive consummatum, sive tantummodo ratum. Dirimit, quamdiu durat, ita ut non possit validè quis aliam ducere, nisi sit moraliter certus de morte conjugis. Quod si postea ille compareat, tenetur alia conjugi, dimisso posteriori conjugio, cum quo bona fide habitavit, ad priorem redire.

Ligamen dirimit Jure Divino, & Naturali. Trid. *sess.* 24. *can.* 2. Unde Sancti Patres, qui plures habuerunt uxores, ex divina dispensatione habuerunt.

4017. *Qui sine morali cœtitudine, & sufficienti pro-*

Imped. dirim. Honestas, affinitas.

probatione de morte conjugis, ad secundas nuptias transit, illicitè, sed validè contraxit; si revera, quando contraxit, prior conjux erat mortuus, ex cap. *Dominus, de Secundis nuptiis*; quia revera tunc non erat ligamen.

4108. Ad vitandum delictum Polygamie sunt adhibendæ diligentie pro libertate contrahere volentium; adeoque sunt præmittendæ denunciations, de quibus à num. 3969.

4109. Si alter ex sponsis sit extraneus, non est admittendus, nisi suam libertatem probet per attestations proprio Episcopo, vel Vicario Generali subscriptas, & sigillatas. Sufficit autem assistentia Patrochi loci, de licentia tamen Ordinarii. In Italia adest instructio S. Congr. quæ in Cancellariis Episcopalibus reperitur.

4110. Turca plures habens uxores, si convertatur ad fidem, obligatur tenere primam, & dimittere reliquas; quia solum primum matrimonium est validum; si prima velit cum conjugio fideli habitare sine injuria Creatoris, ut in num. 4052. Aliàs potest ad sui libitum, prima dimissa, unam ex aliis tenere, sed cum ea debet de novo contrahere, ob invaliditatem matrimonii prioris.

4111. Si maritus mortuus resurgat, mulier, etiamsi sit libera, non tenetur ad illum redire, imò non potest sine novo contractu; quia ex D. Paulo 1. ad Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit. Quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat.*

Plura de mortuo resuscitato resolvit Mendo in *Epist. in Appendice*, quæ tamen ex dictis, propriis in locis patent.

10. HONESTAS.

4112. **P**ublica honestas est propinquitas Jure Ecclesiastico orta ex sponsalibus, aut ex matrimonio rato. Et describitur, quod sit publica decentia, & morum honestas, ut matrimonium impediat inter personas sic factas propinquas. Ex sponsalibus validis dirimit inter sponsum, & consanguineos sponse, & de converso solum usque ad primum gradum. Trid. *sess.* 24. *cap.* 3. Non oritur ex sponsalibus invalidis. Trid. *cit.* Ex matrimonio verò rato dirimit usque ad quartum gradum. Vide num. 3939.

4113. Ex matrimonio rato, & non consummato non oritur affinitas, sed publica honestas; nam affinitas oritur ex sola copula.

4114. Ex sponsalibus validis, si postea mutuo consensu sponzorum dissolvantur, adhuc remanet publica honestas. Ratio est. 1. Quia publica honestas ex Trid. oritur ex sponsalibus validè contractis, licet autem postea mutuo consensu dissolvantur, veniens est, quod sponsalia fuerint validè contracta. 2. Quia si post sponsalia validè contracta, imò si post matrimonium rato intra bimestre alter ex sponsis, aut conjugibus ingrediatur Religionem, & profiteatur, dissolvuntur sponsalia, & matrimonium; & tamen remanet publica honestas. 3. Noltram resolu-

tionem firmat Decr. Sac. Cong. Conc. approbatum ab Alex. VII. 6. Julii 1658.

4115. Ex sponsalibus conditionatis oritur publica honestas, conditione adimpleta, non prius, quia tunc, & non prius sunt valida. Clericus *cap.* 133. *mun.* 76. Qui tria quæsitæ resolvit, ut sequitur:

4116. *Quar.* 1. An præfatum publicæ honestatis impedimentum oriatur ex matrimonio rato, sed invalido? *Resp.* Cum distinctione, quæ menti est valdè mandanda. Vel invaliditas provenit ex defectu consensus, puta ob errorem in personam, aut per vim, & metum; & in hoc casu impedimentum publicæ honestatis non oritur. Vel invaliditas provenit ex quocumque alio impedimento, vel defectu; & in hoc casu oritur. Tamb. qui alios allegat, *dist. lib.* 8. *de Matrim. tract.* 1. *de Impedim. cap.* 11. §. 3. *num.* 1. 2. & 3. ubi advertit, quod si matrimonium sit nullum ex defectu sufficientis consensus ob non debitam ætatem, in hoc casu non oritur impedimentum publicæ honestatis ex matrimonio rato, sed oritur ex sponsalibus, quia licet matrimonium non valeat, valent sponsalia, quod repetit idem Tamb. *dist. lib.* 8. *tract.* 3. *de Sponsal. cap.* 2.

4117. *Quar.* 2. An ex matrimonio rato sub conditione de futuro hoc impedimentum resultet? *Resp.* Non resultare, si conditio non compleatur; resultare, conditione completa. Tamb. *d. tract.* 1. *cap.* 11. §. 3. *num.* 5.

4118. *Quar.* 3. An conditio completa sufficit per matrimonium apposita, impedimentum resultans, dirimat usque ad primum gradum tanquam à solis sponsalibus proveniens; vel dirimat usque ad quartum tanquam à matrimonio proficiens? *Resp.* Esse hinc inde opiniones Doctorum, sed magis probabilem reputari, quod dirimat solum usque ad primum gradum, & habeatur tanquam proveniens à sponsalibus, cò quia matrimonium contractum sub conditione de futuro videtur habere vim sponsalium; nam conditio adimpleta, adhuc opus est consensu ad perficiendum matrimonium. Tamb. *d.* 3. *num.* 6. & *d. lib.* 8. *tract.* 5. §. 4. *num.* 11. ubi ait, utramque opinionem esse probabilem.

11. AFFINITAS

4119. **E**ST propinquitus personarum orta ex carnis copula, sive licita, sive illicita. Affinitas orta ex copula licita se extendit, & dirimit usque ad quartum gradum; ex copula verò illicita solum usque ad secundum.

4120. Contrahitur solum ab uno extremo copulæ cum consanguineis alterius extremi copulæ, minime à consanguineis unius cum consanguineis alterius, quia affinitas non parit affinitatem. Unde Petrus, qui habuit rem cum Berta, non potest, etiam mortua Berta, validè nubere cum sorore Bertæ, at frater Petri potest validè nubere cum sorore Bertæ; hinc

hinc est, quod duo fratres validè possint duas sorores ducere.

4121. Gradus affinitatis desumuntur juxta gradus consanguinitatis. *Vide num. 4130.*

4122. Affinitas non oritur ex quacumque copula, sed solum ex copula consummata cum effusione seminis in vas naturale mulieris.

Quod si viro seminante, mulier non seminet, licetè probabilis sit opinio, quod non oriatur affinitas. Tamb. & Clericatus cap. 133. num. 90. Probabile est, quod oriatur, juxta opinionem, quod mulier passivè se habeat ad generationem; & quamvis probabilis sit, quod se habeat activè, quantum tamen ad impedimentum affinitatis est in praxi tenenda opinio affirmativa ad vitanda incommoda, quæ aliàs sequi possent; quia viri seminatio est constans, & apparens, minimè illa mulieris.

4123. Copula consummata facta per vim, & metum, quamvis non afferat patienti penam non petendi debitum, cum pena supponat culpam, parit tamen affinitatem, quia affinitas non est pena, sed propinquitas, quæ semper insurgit ex copula consummata, sicut etiam insurgit, si copula fiat cum ignorantia juris.

QUÆRES I:

4124. Petrus contraxit sponsalia cum Rosa, postea habuit rem cum Catharina matre Rosæ. An possit nubere cum Rosa, cum qua sponsalia contraxit?

Resp. non posse; quia ob copulam habitam cum Catharina matre Rosæ orta est affinitas inter ipsum Petrum, & Rosam, quæ affinitas orta ex copula illicita se extendit usque ad secundum gradum, & sic se extendit inter ipsum Petrum, & Rosam, quæ est in primo gradu conjuncta cum Catharina ejus matre: & impedimentum dirimens superveniens dirimit sponsalia, ex num. 3939.

4125. Petes. 1. An saltem possit contrahere matrimonium cum ipsa Catharina matre Rosæ?

Resp. neque posse; quia ex sponsalibus validis initis cum Rosa orta est publica honestas inter Petrum, & Catharinam matrem Rosæ, quæ est in primo gradu, & dirimit matrimonium.

4126. Petes. 2. An dictus Petrus possit matrimonium contrahere cum Margarita consobrina Rosæ?

Resp. posse, si Margarita non sit in secundo gradu consanguinitatis conjuncta cum Catharina matre Rosæ, qualis est, si sit consobrina secunda. Ratio est, quia ex una parte Margarita consobrina Rosæ non est in primo gradu conjuncta cum Rosa, & publica honestas ex sponsalibus non se extendit ultra primum gradum. Ex alia parte (ut supponimus) non est in primo, aut secundo gradu conjuncta cum Catharina, sed in tertio, aut quarto, & affinitas ex copula illicita non se extendit ultra secundum gradum, adeoque Petrus nullum habet impedimentum dirimens publicæ honestatis, aut affinitatis cum Margarita, atque inde potest cum ea matrimonium contrahere.

4127. Si verò Margarita sit consobrina prima Catharinæ, ac proinde in secundo gradu illi conjuncta, non potest Petrus cum Margarita contrahere, quia est illi affinis in secundo gradu ob copulam illicitam habitam cum Catharina.

QUÆRES II:

4128. An infideles, qui cum affinitate, etiam in primo gradu linea recta orta ex copula conjugali, matrimonium contraxerunt, separari debeant, si convertantur ad fidem. An verò matrimonium sit validum?

Resp. esse validum, quia affinitas, esto confurgat jure naturali ex copula licita, quatenus per eam vir, & mulier fiunt una caro, non dirimit tamen Jure Naturæ, sed Ecclesiastico. Et universaliter matrimonia infidelium inita, servatis conditionibus Juris Naturali, & Juris Divini, non servatis solum conditionibus Jure Ecclesiastico prescriptis, si ipsi infideles postea convertantur ad fidem, remanent valida, imò nulla solemnitate indigent; quia infideles non subjacent legibus Ecclesiæ. *Vide num. 3147.*

QUÆRES III:

4129. Duo Turcæ, qui invalidè matrimonium contraxerunt, contra legem humanam à suo Principe infideli sub clausula irritante editam, Panorum ducti, & ad fidem conversi, volentes renovare matrimonium, recordantur, quod dum erant infideles, & in sua patria, vir cognoverit consanguineam suæ uxoris. An indigeant dispensatione super impedimento affinitatis?

Resp. cum distinctione: vel vir habuerat rem cum consanguinea suæ uxoris, v. gr. cum ejus sorore, per copulam licitam, quatenus erat sua uxor, & qua mortua, hanc duxit: vel habuerat rem cum dicta consanguinea per copulam illicitam?

Si primum tenetur petere dispensationem, quia licet impedimentum affinitatis non sit, nisi ex Jure Ecclesiastico, & consequenter non liget infideles, durante statu infidelitatis, affinitas tamen Jure Naturali oritur ex copula licita, quia per copulam conjugalem conjuges fiunt una caro, ex quo sequitur attinentia consanguineorum unius cum altero conjugis, & è converso: uade allati Turcæ, cum debeant revalidare matrimonium jam invalidum, in statu, quo sunt fideles, juxta leges Ecclesiæ, fit quod cum verè reperiantur affines, verè reperiantur impediti, impedimento tempore fidelitatis, & non antea de novo superveniente, ex affinitate tamen tempore infidelitatis contracta.

Si secundum, non egent dispensatione, quia non sunt affines, nam ex copula illicita non oritur affinitas Jure Naturali; quoniam potius ex ea oriuntur odia, & inimicitia, quam amicitia, & attinentia consanguineorum, sed Jure Ecclesiastico; & quia copula illicita supponitur facta tempore infidelitatis, quo non erant subditi Ecclesiæ, sequitur, quod adveniente statu fidelitatis, non reperiantur affines, ac proinde

ucc

nec impediti, ut dispensatione egeant. Tancr. tom. 2. de Matr. lib. 7. disp. 65. & 66. Tamb. tom. 2. pag. 100. §. 2. num. 1.

QUÆRES IV:

4130. Certum est, quod si moriatur Francisca, uxor Pauli, perseverat in Paulo affinitas cum omnibus Francisca consanguineis natis ante mortem Francisca; quia cap. Fraternalitatis 35. quæst. 10. affinitas semel orta perpetuo remanet. Ex hoc ergo, queritur: An si post Francisca mortem nascatur ex ejus sorore puella, sit ne affinitas in secundo gradu Paulo, ita ut inter ipsam, & Paulum nequeat validum matrimonium contrahi?

Respondeo affirmativè. Tamb. tom. 2. lib. 8. tract. 1. cap. 12. §. 1. num. 7. Ratio est, quia affinitas incluratur juxta consanguinitatem, ita ut Scoto in 4. dist. 41. q. unic. lit. B. quoto gradu consanguinitatis est quis conjunctus, vel distat ab uno ex extremis copulæ, toto gradu affinitate est conjunctus, vel distat ab altero extremo copulæ; sed nata ex sorore Francisca, adhuc Francisca mortua, est verè consanguinea in 2. gradu cum Francisca, adhuc mortua; igitur est verè affinis in 2. gradu cum Paulo, qui est alterum extremum copulæ; hinc affinitas non solum extenditur ad consanguineos natos, vivente uxore, sed etiam natos, ea mortua.

12. IMPOTENTIA

4131. **C**oendi, super perficiendi copulam, non impotentia generandi, matrimonium dirimit. Scotus in 4. dist. 31. q. unic. lit. F. Ad tertium: Quia obligatio non est absoluta ad bonum proli, sed sub conditione si eveniat, ad gratanter suscipiendum, &c. & tunc matrimonium est ibi tantum ut in remedium, non autem ut in officium.

4132. Hinc steriles, & senes validè contrahunt, dummodo sint apti ad copulam; & tunc matrimonium est in remedium concupiscentiæ, qui est finis secundarius, & minus principalis, ob quem etiam fuit institutum, juxta dictum Pauli, melius est nubere, quam uri.

4133. Matrimonium verò Eunuchorum, qui utroque teste carent, est nullum, non ob impotentiam generandi, sed ob impotentiam coeundi; copula enim fieri debet per transfusionem veri seminis, vero autem semine carent Eunuchi, cum emittant humorem quemdam aquosum specie distinctum à semine.

4134. Hinc impotentia coeundi in tribus consistit, & in illo inordinat. 1. Impotentia ad penetrandum vas. 2. Ad emittendum verum semen. 3. Si verum sit semen, sed adsit impotentia ad emittendum illud intra vas; unde non sufficit potentia ad emittendum extra vas, seu in ore vasis.

4135. Impotentia, ut dirimat, Primò debet esse antecedens matrimonium, non sufficit, si sit consequens matrimonium, etiam solum ratum, antequam sit consummatum.

4136. Secundò, debet esse perpetua, ita ut nulla

arte possit tolli. Si perpetuitas sit certa, ut si vir habeat virilia sicca, aut amputata. Vel si mulier, sit adeò arcta, ut nullo remedio, nec incisione possit fieri apta, potest matrimonium statim pronunciari nullum à Jure Ecclesiastico.

4137. In dubio perpetuitas conceditur ab Ecclesia triennium ad experiendum bona fide, quo elapso sine fructu, matrimonium declarari potest invalidum, & dissolvi. *Vide num. 4314. & seq.*

4138. Tertio D. Thom. de Sacram. Matr. quæst. 52. art. 1. apud Gonet in Manuali, tom. 6. pag. 563. docet, quod impotentia, ut dirimat, debet esse ignorata, his verbis:

In matrimonii contractu obligatur unus conjugum alteri ad debitum reddendum, idèd si ille, qui se obligat est impotens ad solvendum, ignorantia hujus impotentia in eo, cui sit obligatio, tollit contractum: Sicut autem per impotentiam coeundi efficitur aliquis impotens ad solvendum debitum, ut omnino non possit solvere, ita per servitutum, ut liberè debitum reddere non possit, & idèd sicut impotentia coeundi ignorata impedit matrimonium, non autem si scitur, ita conditio servitutis matrimonium impedit.

4139. Præmissa impotentia dirimit Jure Naturæ, five sit ex parte viri, five ex parte feminae, five sit absoluta, five sit respectiva, respectu scilicet hujus viri, & hujus feminae, taliter quod dissolutio inter hos matrimonium, possint cum aliis matrimonium contrahere.

4140. Insuper dirimit, five sit orta ab intrinseco, & vitio naturæ, five ab extrinseco vitio artis, aut diaboli. In casu maleficii, adhiberi debent remedia, tam naturalia, quam spiritalia, quæ si non proficiunt, impotentia censetur perpetua, & matrimonium dissolvendum per Judicis sententiam. Ex cap. Laudabilem, de Frigidis, & Maleficiis.

4141. Conjug arcta, si per incisionem possit fieri apta, non teneri pati incisionem, unde ejus impotentia censetur perpetua, tenent Clericatus cap. 133. num. 95. Diana part. 11. tract. 5. ref. 11. & alii apud ipsos. Sed rectius Sanchez lib. 7. disp. 39. num. 32. docet, quod teneatur pati incisionem cum gravi dolore, sed non cum periculo vitæ, aut gravi morbi.

MATRIMONIUM IMPUBERIS

4142. **E**ST Jure Canonico invalidum, nisi malitia suppleat ætatem. Ex cap. Attestationes 10. C. de Illis 9. tit. de Dispensat. Impuber.

Defectus autem ætatis matrimonium invalidat, minimè ratione impotentia, quia hæc in impuberis est temporanea, sed ex defectu consensus, ob quem, sicut Jus Canonium Trid. ad validam professionem Religiosam exposit, tàm in viris, quàm in mulieribus ætatem annorum sexdecim expletorum; ita Jus Canonium, num. 4142. relatum ad validum matrimonium de præsentibus exposit in viro

Ddd

2147

etatem 14. annorum, & in femina 14. annorum expletorum, nisi malitia suppleat etatem.

4143. Malitia suppleans etatem consistit in maturitate iudicii sufficientis ad discernendum, & se obligandum in contractu perpetuo, & indissolubili matrimonii, atque in potentia ad copulam, de qua in num. 4134. Hæc autem malitia suppleans etatem relinquitor iudicio, & arbitrio Ordinarii, qui potentiam ad copulam colligere potest, vel ex facto quatenus impubes cum alio copulam habuit, vel ex corporis dispositione, aut propinquitate ad annos pubertatis.

4144. Qua seclusa malitia, matrimonium impuberum, seu verba de presentibus inter impuberes ad matrimonium apta, ex Jure Canonico habent vim sponsalium; quia cum impuberes, supposito usu rationis, sint ex se apti ad contractum, verba valere debent, quantum possunt; & quia ex Jure Canonico prohibentur valere ut matrimonium de presentibus, valere debent ut sponsalia.

Unde matrimonium impuberis fieri debet ex gravi causa, & cum licentia Episcopi.

4145. Quod si postea cooperiatur, Episcopum errasse in danda licentia, seu in approbanda malitia etatem supplente, quatenus impubes repositus est in habilis ad copulam, tunc ex Jure Canonico validum est matrimonium; nam Ecclesia, supposita dicta licentia Episcopi, iudicat, inhabilitatem illam esse temporalem, ac proinde disponit, ut expectetur complementum pubertatis.

Si hoc elapsio, adhuc reperiantur inhabiles; tunc expectari debet completissima pubertatis ætas, quæ in viris est annus 18. in feminis 14. Et si neque hoc tempore habiles reperiantur, tunc utique rationabilis dubitatio oritur, an inhabilitas sit perpetua; adeoque adhibenda est triennis experientia, ut in num. 4137. Tamb. de Matrim. lib. 8. tract. 1. cap. 13. §. 2. Vide num. 16.

4146. Si malitia suppleans etatem sit certa, & impubes sine licentia Episcopi, & gravi causa contrahat matrimonium, peccat mortaliter, sed valide contrahit. Tamb. cit. Invalidè tamen contrahit, si non sit malitia suppleans etatem, ut in num. 4143.

HERMAPHRODITUS,

4147. **S**exum scilicet virilem simul habens, & foemineum. 1. Si in neutro fit potens, validè contrahere non potest. 2. Si inæqualiter participet, contrahere debet secundum sexum, qui prævalet. 3. Si æqualiter utrumque participet, & secundum utrumque sit æquè potens, debet ipse sexum eligere, & secundum illum contrahere, quo electo, maximè, eo matrimonio durante, peccabit mortaliter, si alio sexu uti velit. Tamb. tom. 2. pag. 103.

4148. Quod si nupserit ut femina, & processu temporis prorumpat in virum, tunc, si non sit potens uti sexu foemineo, matrimonium est, & fuit ab initio nullum, quia sexus, in quo contraxit, non

erat perpetuus, quoniam latebat sexus virilis. Pariratione, si hæc fuerit Monialis professio, professio est nulla, & est de Monasterio educenda; non tenetur tamen ingredi Religionem virorem, quia ejus intentio non fuit, nisi ingredi Monasterium Monialium, & ibi profiteri. Port. in dub. Reg. verb. Professio, in fine.

13. PRÆSENTIA PAROCHI, ET DUPLICIS Testis,

4149. **S**I desit, ubi Trid. est receptum, matrimonium est nullum, etiam si, qui contrahere debet, sit in articulo mortis. Matrimonium coram facie Ecclesiæ celebratum dicitur, quod celebratur coram Parocho, & testibus.

4150. Ubi Decretum Concilii non est publicatum, valere matrimonium contracta absque observantia formæ à Concilio præscripta declaravit S. Cong. Conc. 19. Januarii 1605. apud Tamb. de Matrim. lib. 8. tract. 6. cap. 2. §. 3. num. 10.

4151. Ubi est publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tanquam Decretum Concilii observatum, nullus tamen Parochus reperitur, sed Ecclesia Parochialis omnino vacet, tam Parocho, quam Episcopo, & Capitulo valentibus alium delegare; quod contingere potest causa persecutionis ab infidelibus illata; tunc matrimonium valere absque presentia Parochi, servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, id est adhibitis saltem duobus testibus, declaravit eadem S. Congr. Conc. 19. Jan. 1605. apud Tamb. cit.

4152. Qui, ne contrahant coram Parocho, transeunt ad loca hæreticorum, ubi non sunt Parochi, & ibi more loci sine Parocho contrahunt, validè contrahunt, si transferunt animo mutandi domicilium; & invalidè verò, si secus, sed animo revertendi. Ita Clericatus cap. 133. num. 124. cum Tamb. & de Lugo, ex Brev. Urban. VIII.

4173. Si è loco, ubi non est publicatum Concilium, veniant ad locum, ubi est publicatum, invalidè contrahunt sine Parocho, & testibus.

4154. Si unus ex sponis sit de loco, ubi est publicatum Conc. alius de loco, ubi non est publicatum, habenda est ratio loci, ubi matrimonium per verba de presentibus contrahitur. Cleric. & Tamb. cit.

4155. Græci Ecclesiæ Romanæ uniti, maximè inter Latinos habitantes, tenentur servare formam Tridentinam.

4156. Sufficit Parochus viri, aut uxoris, si contrahentes habitent in diversis Parochiis, etiam si præsens contradicat, dummodo intelligat. Tamb. tom. 2. cit. p. 157. quia Trid. cap. 1. sess. 24. de Reformatione Parochi, & duorum testium presentiam exposcit.

4157. Hinc Fagnanus in lib. Decr. cap. Quoniam, de Constit. num. 25. pag. mihi 133. refert Declarationem Conc. ut sequitur:

7. Cong. declaravit, validum esse matrimonium contractum coram Parocho, etiam invito, & per vim abibito, quamquam nihil eorum, quæ agerentur vidit, & intellexit, si affectavit non intelligere, ut in Parocho, qui sibi aures obtulerat; etiam si ex alia causa vocatus, adhibitus tamen ad illum actum. Item coram Parocho, tam viri, quam mulieris, etiam in aliena Parochia: imò, et si Episcopus illi matrimonium interdixerit. Item coram Parocho, etiam minoribus tantum ordinibus initiato.

4158. Non sufficit igitur præsentia Parochi physica, & materialis, qualis esset Parochi amentis, dormientis, ebrii, infantis, verè, & non ex affectatione distracti, seu verè non advertentis quid à contrahentibus agatur; sed requiritur presentia moralis, & humana, quamvis coacta, involuntaria, ut casualis.

4159. Sic pariter de testibus. Unde invalidum est matrimonium, si contrahentes sint velo cooperiti, ita ut non cognoscant certò à testibus. Item si testes non intelligant idioma sponorum, quamvis per interpretem moneantur de contractu matrimonii, nisi ex actibus externis sponorum certò percipiant, eos matrimonium contrahere. Ita Clericatus, qui ritè ex Pontio addit, hoc esse periculosum, quia alter ex sponis penitentiæ affectus posset dicere, se tunc per verba de futuro, minime de presentibus contraxisse.

4160. Insupe validum est matrimonium cui Parochus vel alius Sacerdos de ejus licentia assistit contra prohibitionem Episcopi sub nullitate matrimonii facta; quæ Episcopus potest Parochum inobedientem punire, minime verò matrimonium ex capite assistentia irritare contra Decr. Trid. & Decl. S. Congr. de num. 4157. Nec potest novum impedimentum dirimens edere.

4161. Parochus potest alteri delegare, ut matrimonio assistat, sed non nisi Sacerdoti ex Trident. cit. Et hic validè assistit, etiam si per vim, metum, aut dolam licentiam obtinuerit.

4162. Hic Sacerdos delegatus potest alteri Sacerdoti subdelegare, ut assistat, si sit delegatus generaliter, puta si sit conductus à Parocho, tanquam Capellanus, ut sibi serviat in administratione Sacramentorum; quia delegatus ad universitatem causarum potest subdelegare, secus, si sit delegatus in casu speciali. Cleric. cit. ex Fagnano in cap. Quid visis, num. 32. de clandest. desponsat. Vide num. 1976.

4163. Si Parochus interim sit mortuus, aut prius beneficio, Sacerdos delegatus invalidè assistit, id fecit; quia delegatus spirat, mortuo delegante. Validè, si adhuc neciat; quia ei assistit bona fides, & titulus coloratus.

4164. Validè, et si illicitè assistit Parochus centus innotatus, aut irregularis; invalidè verò si sit hæreticus. Ratio primi (ut notat Clericatus) est, quia tale jus assistendi non est actus jurisdictionis,

sed qualitas à titulo Parochiali proveniens, adeoque per censuras non aufertur. Ratio secundi; quia per hæresim beneficia vacant, adeoque non est amplius Parochus S. Congr. apud Fagnanum in cap. Ad abolendam, num. 38. de Hæres.

4165. Peccat mortaliter, aut venialiter, juxta opinionum varietatem, Parochus, si omittat verba Ritualis: Ego conjungo vos in matrimonium, in nomine Patris, &c. sed non invalidat matrimonium; quia hæc verba non sunt de essentia; non habent enim rationem formæ, ut ex num. 395 r. sed solum declarant matrimonium legitime contractum, ut sit sensus: Ego declaro, vos contraxisse legitimum matrimonium.

4166. Ex quo inferit Tamb. lib. 8. de Matrim. tr. 6. cap. 2. §. 4. num. 5. quod si contrahentes non interrogati, ex se satis expriment consensum, possit Parochus interrogationem circa consensum omittere; quia esset superflua.

4167. Semper autem sub mortali tenetur Parochus in suo libro Parochiali, matrimonia celebrata notare.

Hæc ferè Clericatus cit. qui quatuor quæsitæ necessaria ex Tamb. proponit, & resolvit, ut sequitur.

QUÆRES I:

4168. An nomine Parochi in hac materia veniat solus Parochus; id est Sacerdos investitus beneficio?

R Esp. appellatione Parochi venire, ultra Sacerdotem in beneficio Curato deputatum, etiam Episcopum in tota Diocesi, ac ejus Vicarium Generalem, necnon Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante, item Cardinalem in suo titulo; Legatum à latere in Legationibus sive Provinciis; Archiepiscopum in visitatione Diocesium, suorum Suffraganeorum, vel ubi fuit ad eum à sententia Episcopi appellatum; Summum Pontificem in toto Orbe, Sanchez, de Matr. lib. 3. disp. 7. num. 10. Pontius lib. 5. cap. 10. & Tamb. ubi supra, cap. 2. §. 5. num. 1. ubi id extendit etiam ad Abbates habentes jurisdictionem quasi Episcopalem; si tamen sint in Abbacia instituti, non autem si tantum in Commendam habeant. Diana part. 11. 3. ref. 35.

QUÆRES II:

4169. Si Parochus desisset licentiam alteri Sacerdoti, ut assisteret matrimonio, sed ipse nesciret, datam esse sibi licentiam, & nihilominus assisteret, esset matrimonium validum?

R Esp. distinguendo: vel ipse assistens miserat ad petendam licentiam, & ea obrecta, antequam sibi notificaretur, assisteret; peccaret quidem, exponendo se periculo nullitatis, & validè assisteret; quia concessio gratiæ incipit valere à puncto concessionis factæ Oratori petenti, & acceptanti. At si nullo petente, fuisset licentia data ultra pro ipsum Parochum, matrimonium esse nullum; quia cum à nullo dicta licentia sit acceptata, nullum parit effectum Castropol. dif. 2. de

Spons. p. 13. num. 6. Diana part. 1. tr. 3. ref. 3. 32. & est reus in cap. Si tibi absentia, de Prob. in 6. Tamb. d. lib. 8. tr. 6. cap. 2. §. 5. num. 7.

QUÆRES III:

4170. Quomodo cognoscatur, an quis sit de Parochia ad effectum contrahendi valide matrimonium coram proprio Parocho?

R. Esp. esse distinguenda quatuor genera habitantium. Primum est eorum, qui fixum habent domicilium per totum annum in Parochia. Secundum est illorum, qui habitant pro majori parte anni tantum, ut Scholares Patavii, vel litigantes Venetiis. Tertium illorum, qui per paucos dies occasione solatii, aut recreationis. Quartum illorum, qui vagi sunt, & nullibi morantur, ut sunt comici, & circulatores. Modò: personæ primæ & secundæ generis absque dubio contrahunt coram Parocho, in cujus Parochia morantur. Secus est de illis tertii generis, quia non dicuntur habere domicilium ibi, ubi ex itinere morantur. Personæ quarti generis censentur de Parochia, ubi se firman, quamvis citò discessuri. Barbof. in Collectam. DD. ad Concl. Trid. sess. 24. cap. 7. Tamb. d. cap. 2. §. 5. n. 10. 11. & 12. ubi tamen num. 13. advertit, non debere Parochum matrimonii vagorum assistere, nisi prius exhibeant licentiam Ordinarii, & attestacionem libertatis eorundem ad tradita per Concl. Trid. sess. 24. cap. 7. de Reform. Matrim.

QUÆRES IV:

4171. Si sponsi sint diversarum Civitatum, & faciunt mandatum protra duobus amicis in alia Civitate commorantibus, ut eorum nomine matrimonium contrahant; an Parochus Procuratorum fuerit verus Parochus, & poterit valide assistere matrimonio?

R. Esp. hunc casum non inveniri apud Doctores discussum, ut notat Tamb. d. lib. 8. tr. 6. cap. 2. §. 6. num. 23. Ubi doctè equidem sic distinguit: vel unus sponsus tantum est absens, & ejus loco deputatur Procurator; & tunc matrimonium poterit celebrari coram Parocho sponsi præsentis cum interventu Procuratoris pro sponso absente. At si ambo sponsi absint, & uterque eorum fecerit Procuratorem ad contrahendum, qui Procuratores stent in alia Civitate; Parochi illorum Procuratorum nequaquam possunt validè assistere matrimonio pro eos procuratorio nomine contrahendo, quia neuter illorum est Parochus sponso: Ideò necesse erit, ut Parochus sponso deleget facultatem Parocho Procuratorum assilendi prædicto matrimonio; quod non est neque difficile, neque grave, quia debent etiam ipsi sponsi mittere attestaciones suæ libertatis. Ita Tamb. ubi supra dicit. num. 23.

QUÆRES V:

4172. Quid dicendum de Regularibus quoad administrationem Sacramentorum?

R. Esp. Regulares, qui sine Parochi licentia presumunt Clericis, aut Laicis Sacramentum Extremae Unctionis vel Viaticum ministrare, aut Matrimonia solemniter benedicere, incurrere communicationem Papæ reservatam; ex Clericis lib. 7. tit. 7. cap. 1. Excusat autem ignorantia etiam quia censura est contra præsumentes. Vid. num. 433 1. & 3979.

Quid de Extrema Unctione, & Viatico quoad commensales, hospites, servientes, &c. quidque in extrema necessitate in articulo mortis, &c. Vide Conf. 31. Pii V. Ad immemorabilem, 13. Febr. 1567. in Bullar. Conf. 48. Pauli III. Licet debitum, 18. Octob. 1549. in Bullar. Pailier. tom. 2. q. 187. art. 1. num. 994. Pasqual. q. 404. & seq. Gabriel ad S. Vinc. d. 1. q. 2. Amandoliam, tom. 2. par. 6. sel. 2. dub. 1. Dianam, p. 2. tr. 4. q. 170. & Barb. ref. 20. num. 22. qui refert Concl. Pauli III. & Leonis IX.

Post relatos Pontifices, & Doctores, omnino prius videndos, videt potest Matthæucci in Officiali Curia, tom. 2. à pag. 263. Quoad Sacramentum Penitentia: fusè dictum est libi.

DUO TESTES

4173. Debent esse presentes, ut in num. 4158. 4159. & unum intervenit contractui, dum actu consentus præstatur, ita ut non sufficiat, si unus audiat consentum viri, alter mulieris.

4174. Una sola qualitas est necessaria in testibus, nempe usus rationis; unde qualibet persona cujuslibet conditionis, aut status, vir, mulier, cognata, infamis, excommunicata, infidelis, &c. Et cujuslibet ætatis, dummodo usum rationis habeat, est testis habilis, quoad matrimonium contrahendum; quia Trid. cit. nullum excipit per teste.

Ad testificandum autem veli nulitate matrimonii non sufficiunt, sed requiruntur testes omni exceptione majores. Cap. 1. de Consanguin.

14. RAPTUS MULIERIS

4175. Irimit matrimonium, ita ut raptor non possit raptam ducere, quamdiu manet in potestate raptoris, bene verò quando fuerit à raptore separata, & posita in locotuto, si tunc illa liberè consentiat, sed etiam tunc raptor, & omnes illi, qui consilium, auxilium, & favorem præbuerunt, sunt ipso jure excommunicati, ex Trident. sess. 24. de Reform. cap. 6. Ad raptum autem requiruntur tria, ex num. 2158.

4176. Sufficit 1. Si violentia inferatur ipsi femine in principio, licet postea copule annuat. Non sufficit autem, si in principio rapti consentiat, & postea revertens fuerit cognata; quia initium est attendendum, quo violentia inferuit. 2. Sufficit quod sit raptus femina, sive virginis, sive corrupta, sive meretricis; non sufficit, si sit viri. Ratio primi, quia Trident. respicit offensam, & impedimentum libertatis matrimonii, quod habetur etiam-

etiam si mulier inhoneſta rapiatur. Ratio secundi, quia lex est penalıs, adeoque cum loquatur de viro raptore, non debet extendi ad mulierem raptivam. Ita Fenech.

CAPUT VI.

DE DISPENSATIONIBUS.

4177. Dispensatio est juris alicujus relaxatio. Unde non potest fieri sine rationali causa.

4178. Dispensatio data sine causa à Superiore est valida, sed illicita; data verò ab inferiore in lege Superioris, est etiam invalida; ut pariter dictum est de voto. In utroque casu dispensantes peccare mortaliter, docent antiqui; venialiter moderni, apud Dianam, part. 8. tr. 3. ref. 6. Clericatus cap. 136. num. 1.

4179. Causæ, ob quas solet Pontifex in impedimentis matrimonii dispensare, sunt præcipuè septem.

Primo, Angustia loci, ob quam non invenit sibi parem, cum non sint ibi pares.

4180. Secundo, Paupertas, seu incompetencia dotis, ob quam non possit extra cognatos inveniri conjugium.

Non obstante spe futuræ successiõis ab intestato, aut legati, si non habet mulier parentes divites, qui teneantur, & cogi possint ad eam dotandam. Si mulier sit deformis, & hac de causa cum ea dote non possit nubere extra cognatos, censetur pauper, sed id debet exprimi.

4181. Tertio, Grave periculum litis, aut inimicitia.

4182. Quarto, Aetas femina excedens; puta si annum 24. excedat, ne innupta remaneat.

4183. Quinto, Conservatio familie illustris, & in Ecclesia benemerita. Nobilitas est desumenda à patre, non tantum à matre.

4184. Sexto, Timor scandalı, aut periculum infamie.

4185. Septimo, Larva elemosina.

4186. Dispensatio, si in ea taceatur verum, aut exponatur falsum, dicitur subreptitia, seu obreptitia. Et est nulla, si taceatur verum, aut exponatur falsum circa causam finalem: Non est nulla, si circa causam impulsivam. Causa finalis est illa, sine qua dispensatio non concederetur. Causa impulsiva est illa, sine qua concederetur dispensatio, sed non tam faciliter, aut prompte. Clericatus cap. 137. num. 1. cum Tamb.

4187. Subreptitia est dispensatio, & inde nulla: Primo, si fuit expositum unum impedimentum pro alio, v. gr. gradus consanguinitatis, pro gradu affinitatis, aut si sub dubio impedimentum certum.

4188. Secundo, si factus sit error ex expressione Diocesıs. Clericatus cit. num. 21. cum Tamb. contra Dianam, part. 8. tr. 3. ref. 64. & Mendo

in Epit. cit. num. 13. qui opinionem affirmativam vocat certò probabilem.

4189. Valida tamen est, & potest ab Ordinario executioni mandari. 1. Si error fuit in nomine, aut cognomine: constat tamen de veritate corporum, seu personarum. 2. Si fuit in exponendo gradu proximiori pro remotiori; scilicet, è contra: praxis tamen est in hoc secundo casu; ut littera remittantur Romam pro correctione, Clericatus, Tamb. & Mendo cit. 4190. Si orator taceat repulsam antea super eadem supplicatione sibi datam; valet dispensatio Clericatus cit. 173. n. 2. cum Diana part. 8. tr. 3. ref. 54. Tamb. cit. & Sanchez. Et quavis Tamb. cit. idem doceat, si data repulsà Superiore, fiat recursus ad inferiorem habentem facultatem dispensandi, absque eo quod, & repulsà notificetur.

Id dico verum in casibus, in quibus inferior habet à superiore concessam facultatem ordinariam, seu delegatam dispensandi; ut est in votis ex num. 1623. & 2962. minime in casibus, in quibus inferior solum eam habet ex episcopa, nimirum ex rationabiliter præsumpta voluntate Superioris; hanc autem habet Episcopus in impedimentis dirimentibus, non primam, juxta dicta num. 4229. & 4339.

4192. Qui post obtentam dispensationem ducendi Rosam consanguineam, petat dispensationem pro ducenda alia consanguinea, tenetur exponere primam dispensationem, si hæc fiat inutilis ex sola mutatione animi ipsius petentis; non tenetur verò, si per ipsum non steterit, sed prima dispensatio sit revera facta inutilis, in quantum Rosa fit mortua, facta Religiosa, aut nolit. Clericatus cit. num. 3. cum Diana part. 8. tr. 3. ref. 55.

4193. Qui dispensationem obtinuit super impedimento criminis ob uxoricidium, inde occidat secundam uxorem, ut ducat tertiam, tenetur exponere priorem dispensationem. Clericatus cit. num. 4. cum Tamb. contra Filliuc. quia difficiliter conceditur gratia, replicato delicto, quam unico; bis, quam semel.

4194. Qui obtinuit dispensationem super voto simplicis castitatis ad contrahendum, si mortua uxore, petat dispensationem in voto, non tenetur primam dispensationem exprimere; quia in hoc non adest delictum: Et prima dispensatio est expleta. Clericatus cit. num. 5. cum Tamb. Vide num. 264.

4195. Qui simul plura impedimenta habet, tutius est, ut illa simul exponat, & pro omnibus simul, & non seorsim dispensationem petat, ob rationem de num. 4193.

Quod si unum sit occultum, alterum publicum; tunc potest, & debet ad Datariam recurrere pro publico, relicto occulto, & pro occulto ad S. Penitentiarium, cui tamen significare debet impedimentum publicum, super quo Dataria dispensavit, aut est dispensatura. Clericatus cit. num. 7.